

## 1742. MENSE DECEMBRI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1742. 19. et sequentibus Mensis Decembris, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, Zagrabiae pro 19 et sequentibus Mensis Decembris 1742, ex edicto et sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Georgii Branyugh, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Officiique Banatus Locumtenentis, celebrata Congregatione conclusi.

## Articulus Septimus.

*De benignissimi infrascripti Mandati Regii perfectione ejusdemque ex rationibus sub insertis Prothocollo Regni insertione.*

Benignissimum Suae Sacratissimae Regiae Majestatis, sub dato Viennae Austriae die 26. Mensis Novembris anni currentis 1742 ad Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Praesulem et Officii Banatus Locumtenentem sonans et inviatum, atque per eandem Suam Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Locumtenentiale cum Dominis Statibus et Ordinibus communicatum, et juxta contentae ibidem benignissimae Comissionis Regiae exigentiam effectui mancipatum, in publico lectum et clementia Regia plenum, non sine peculiari Dominorum Statuum et Ordinum consolatione intellectum Mandatum, vel ex eo publico Regni Prothocollo inserendum, et originaliter penes acta Regni suo tempore asservandum decernitur, tum quod ex eodem benignissimo Regio Rescripto, Capitanei Regni per Dominos Status et Ordines facta substitutio, adeoque et occasione vacantiae ipsius etiam generalatus officii collatio ratihabeatur, tum vero, quod quemadmodum Suae Illustrissimae et Reverendissimae Dominationi Domino Officii Banatus Locumtenenti, illorum, quae generaliter congregati Domini Status et Ordines horum Regnum in promotionem servitii sui Regii, abindeque dependentis communis boni, concordibus votis determinantur, effectuatio et exoperatio potissimum incumbere declaretur, ita quoque factas in re Militari, occasione praesentis belli, non modo circa Regnicolares, verum etiam circa confiniarias copias per Dominos Status et Ordines benigne in prioribus etiam clementissimis Rescriptis Regiis colaudatae et approbatae sunt dispositiones, et consequenter auctoritas quoque Dominorum Statuum et Ordinum ad Confinia, fidei et fidelitati suae concredita, atque semper et ab olim dispositionibus gubernio et Commandae suae et Bani subjecta, manifeste et per expaessum extensa habetur, et ulti quoque agnoscatur. Benigni vero Mandati tenor talis est.

Maria Theresia Dei gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Archi-Dux Austriae etc. nupta Dux Lotharingiae, ac Barri, magna Dux Hetruriae.